

die invitavit ad convivium Gregorium episcopum Turonensem, petens aliquam animæ instructionem. Gregorius aperiens librum Prov. incidit in illud c. XXX. vers. XVII. *Oculum qui subsannat patrem, etc. effodiant eum corvi de torrentibus.* Consultit deinde Meroveus pythonissam, anno Christi 580. quæ respondit, Chilpericum eo anno moriturum et Meroveum solum exclusis fratribus, in omne ejus regnum successurum. Cumque hæc narraret ipse, corripuit eum Gregorius episcopus Turonensis, dicens: A Deo hæc poscenda esse; dæmonem enim esse mendacem. Meroveus ergo adiit sepulcrum S. Martini, in eoque posuit tres libros, scilicet psalterii, regum, et evangeliorum, et vigilans tota nocte petiit, ut S. Martinus ostenderet, quid sibi circa regnum eveniret. Post triduana jejunia, vigiliis et orationes, accedit ad tumultum et revolvit librum, qui erat regum; versus autem primus paginæ quam reseravit, hic erat: *Pro eo quod reliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* II. Paral. VII. Psalterii autem versus hic est inventus: *Verumtamen propter dolos posuisti eis mala, dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? Subito defecerunt, perierunt propter iniquitates suas,* Ps. LXXII. In evangeliiis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* In his responsionibus confusus ille et flens discessit. Merito, nam hæc ei obvenerunt; eodem enim anno Meroveus pressus ab hostibus, ne in eorum manus veniret, spontanea nece Fredegundis artibus interiit. Ita nimirum Deus punit sæpenumero eos, qui se unico auxiliatore contempto, currunt ad dæmonem. Sinit enim eos decipi ab eo, quem invocant, et quodammodo respondet, sicut Paulo Cæsarem appellanti respondit Festus, Act. XXV. *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis:* dæmonem appellasti, ad dæmonem ibis. Sed experiuntur multi, iniquies, opem præsentissimam, cum magicis rebus utuntur. Resp. primo, quid juvat sanari corpora, aut acquiri res perituras, si interim animæ detrimentum patiaris, eamque diabolo oppignores? Deinde, licet dæmon sæpius obsequatur tuis desideriis, suo tamen tempore te incautum opprimet, cum in statu pessimo te repererit, connivente justo Dei judicio. «Norunt Francisci, inquit Mart. Delrio, l. 1. disq. c. IV. q. III. cum superioribus annis cum barone Danau hæreticorum germanorum examina in Franciam irrupissent, et a duce Guisio strenue debellata fuissent, hujusmodi schediasmata (amuleta contra vulnera) collo cæсорum fere

omnium appensa, fuisse reperta ab iis, qui cadavera spoliaverunt.» Nimirum dæmon instar aucupis expectat avem secure et cum aliis plurimis pabulantem, tunc reti eas contegit. VI. Quo vadis, cum ab Ecclesia catholica fugis, et ad hæreticos deffectis? Eo nimirum quo deflexit Agar, cum a domina sua fugeret. Gen. XVI. Cum enim duriusculum dominæ imperium ferre non ollet, profugit ab ea in desertum versus Ægyptum; ubi juxta fontem aquæ inventa est ab angelo sibi dicente: *Agar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis?* Et illa: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Cui angelus: *Reverte ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.* Hunc in modum plurimi hoc tempore, quo catholica religio hæresi pulsa restituitur, fugiunt ab ingressu Ecclesiæ, quod ejus disciplinam et præcepta perferre nequeant, ad loca hæretica, ut ibi sectam suam retineant. Sed fugiunt, primo, dominam suam, Ecclesiam, quæ jus in illos habet, tum ratione baptismi, in quo veræ Ecclesiæ fidem dederunt; tum ratione fidei, quam primitus ab Ecclesia catholica, acceperunt, postea ipsi perverterunt. Secundo, incidunt in desertum errorum plurimorum, ubi a veritate aberrantes de hæresi in hæresim labuntur, ac denique in atheismum. Tertio, hærent juxta fontem aquæ, hoc est, incidunt in paupertatem, et absument suis emigrationibus semetipsos, ut qui in locis catholicis si mansissent, vinum bibere poterant; aquam postea bibere cogantur. Audiant igitur isti angelum Domini loquentem: *Unde venis, et quo vadis?* E quam felici domo Christi in quod exilium emigrasti? *Reverte ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius.*

VII. Quo vadis, cum paulatim consenescis? Nonne ad domum æternitatis tuæ, in qua perpetuo manebis, sive ea domus cælum sit, sive infernus? Sic enim ait Eccles. c. ult. *Quoniam ibit homo ad domum æternitatis suæ.* Quis ergo non semper sollicitus attendat, ad utram domum vadat? Ad duas istas domos duæ vitæ sunt, de quibus Jer. XXI. dicitur: *Ecce ego do coram vobis viam vitæ et viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, et fame, et peste: qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldaeos, qui obsident vos, vivet.* Via vitæ est studium virtutis et præceptorum Dei; via mortis est peccatum, et mandatorum prævaricatio. Viam virtutis ambulat, qui ex hoc mundo fugiunt, et velut peregrini ad cælum tendunt; viam mortis, qui mundo inhaerent. Rursum nonne ad sepulcrum, domum tuam obscuram et angustam, omnibus rebus destitutam, in qua habitatis usque ad diem judicii? Ita enim Ps. XLVIII. dicitur: *Relinquent alienis divitias suas,*

et sepulera eorum, domus illorum in æternum. Audiamus hac de re monitum et jucundum et salutare S. Jacoponi Tudertini, viri sapientissimi, tametsi is Christi amore stultum se simulaverat (ap. Rad. q. II. virid. c. III.) «Civis Tudertinus emerat par pullorum, quos cum domum vellet mittere, Jacoponum conspicit, eumque ut sibi pullis domum deferendis gratificetur orat: qui se vero libenter facturum pollicetur. Cape igitur, ait ille, defer obsecro, nec mihi imponas velim. Jacoponus excipit. Mihi tu fido, inquit, domum tuam pullos feram. Fide data recta ædem S. Fortunato sacram, in qua civis monumentum suum habebat, se confert, sepulcrale saxum amolitur, pullos injicit, lapidem reponit. Civis ad ædem revenit, pullos desiderat: circumventum se ratus in forum recurrit, pullos a Jacopono exigit, ac quorsum tulerit, petit. Mirari Jacoponus, et in domum se illius aves tulisse asserit. Qui fieri potest, ait civis, cum domi meæ nunquam visus hodie sis? Hic Jacoponus: Mecum ades, inquit, jam me tibi obsecutum esse monstrabo. In templum ergo ducit apertoque ejus monumento: Numquid amice, ait, tua hæc est domus? Videsis num mei inculandi tibi fuerit causa. Civis nec verbo addito, receptis pullis, non absque trepidatione, optimis cogitationibus imbutus, domum revertit.» Ita Rader. Ad hoc innuendum jubetur Lev. 1. ut ave ad sacrificium deplumata, plumæ projiciantur in locum cinerum versus orientem. Sic ergo nos plumas seu opes nostras projiciamus in sepulcrum, in quo locus cinerum, et ubi mortui facie ad orientem versa sepeliri solent. Ne postea hæredes deplumatos projiciant in locum cinerum, et sibi pennas opumstrarum reservent: nosque in egestate deserant sepultos. Deinde nonne vadimus ad eum, qui misit nos, judicem nostrum, ut ei rationem reddamus de talentis expensis? *Ego misi vos metere,* ait Christus discipulis suis, Joan. IV. et c. XV. *Posui vos, ut eatis et fructum afferatis.* Omnibus vero dixit illud: *Negotiamini dum venio.* Viderit ergo unusquisque quid lucri et laboris fecerit, ut mercedem a judice recipere possit. Rem hanc perspexit gentilis ille quidem, sed sapientissimus Plato, et si credimus ipsi, ad judicium sustinendum vitam suam composuit. Ita enim scribit in Gorgia: (citatur eum Theodor. l. XI. de Cur. Græc. affect.) «Rhadamantus, (quem gentiles credebant esse judicem mortuorum) inquit, nihil sane aliud hominis novit, neque quis sit ille, neque ex quibus parentibus ortus, sed solum curat malusne ille sit: quod ubi comperit, ad tartarum eum dimittit; animam verò conspicatus quæ sancte vitam

peregerit, idiotæque aut alterius qui veritatem coluerit, philosophi præsertim animam nactus, qui soli sibi vacaverit, neque multarum præterea rerum in vitam sollicitus fuerit, amanter illam excipit, atque ad beatorum insulas mittit.» Unde infert Plato: «Mihi quidem, o Callicles, his rationibus persuasum plane jam est, idque unum maxime aspicio ut quam sanissimam animam judici Rhadamanto ostendam. Missas igitur faciens, quas multi appetunt dignitates, veritatisque incumbens curabo, ut quantum in me sit, quam optimus homo vivam; cumque mihi moriendum sit, mori homo quam optimus.» Et mox quemlibet ad idem studium adhortans: «Neque enim, ait, tibi ipsi ulla afferre poteris suppetias, cum tibi causa ibi fuerit, statuaturque judicium, sed cum veneris in conspectum judicis, habis attonitus, tenebrasque et vertiginem patieris, etc.» Quid hic dicamus, auditores? Quid si enim Plato in judicio nos accuset, qui cum Christiani simus, nihil aut parum curamus, qua animi præparatione ad judicium pergamus? Quare consilium Sapientis audiamus, Eccl. XVIII. *Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies proptiationem.*

CONCIO IV.

QUATUOR DEPLORANDI CHRISTI DISCESSUS.

I. Quando recedit cum gratia sua. — II. Quando recedit cum fide sua. — III. Cum hominem incorrigibilem deserit, ad modum recedentis solis. — IV. Cum in judicio recedet a damnatis.

THEMA.

Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Joann. XVI.

Legimus Exod. XXXIII. Dominum ob populi Hebræi idololatriam commissam in erectione et adoratione vituli iratum, recedere voluisse ab eo, nec amplius eum comitari in itinere, quod fecerat in columna nubis. *Non enim ascendam tecum,* inquit, *quia populus duræ cervicis es. Audiens autem populus sermonem hunc pessimum, luxit, et nullus ex more indutus est, cultu suo,* ait sacer textus; adeo nimirum consternatus est ex eo quod recedere Deus vellet; intellexit enim et expertus est, quantum sibi profuisset Dei presentia et comitatus per iter id deserti, quantumque damni allaturus esset Dei sui recessus. Quod si homines pari modo exacte intelligerent, quid sit recessus Dei ab hominibus, pullum mihi dubium, quin simili modo lugerent, et mærore conficerentur, cum recedit ab illis Deus. Et tamen miseri mortales recessum hunc non curant, nec deplorant, ad instar infantum, qui nequa-

quam plorant cum moritur et absportatur ab eis optimus pater aut mater ad sepulcrum. Quales videntur fuisse tunc Christi discipuli, cum instante magistri sui passione, nihil movebantur, quia rem non intelligebant. Ob quam causam ait illis Dominus in hodierno evangelio: *Vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* q. d. non percipitis modo tristem illum meum recessum, quem aliquando sero deplorabitis. Sed tolerabilis tamen erat is recessus, quia corporalis tantum et ad breve tempus. *Iterum enim videbo vos*, ait Dominus, *et gaudebit cor vestrum*. Ille vero omnium tristissimus et sanguineis lacrymis deplorandus est, cum recedit per gratiam. Et tamen hunc ipsum, paucissimi sunt qui sentiant, vix unus qui deploret. Ab his recedit Dominus ut præparet eis gehennam, et nemo tamen eorum interrogat eum: *Quo vadis?* Sunt autem quatuor potissimum tales Dei recessus, primus tristis, secundus tristior, tertius tristiore tristior, quartus omnium tristissimus.

I. Quando recedit ab aliquo cum gratia sua, quod facit quoties quis de statu gratiæ incidit in peccatum mortale. Cujus recessus typus fuit, recessus Assueri, quando audiens a regina, Amanem mensæ suæ assidentem esse hostem reginæ pessimum, statim iratus surrexit de mensa, et exivit in hortum, quia videlicet non dignabatur eum amplius aspectu, nedum assensu, Esth. VII. Postquam ergo peccatum, hostem animæ pessimum videt Deus in domo sua (quæ est cor hominis) statim inde discedit cum horrenda indignatione et vultus, gratiæque suæ aversione, quia cum peccato esse non vult. Optime vere exprimitur hic discessus per separationem animæ a corpore, seu mortem corporalem. Etenim S. August. serm. XVIII. de verb. apost. ait: *Vita corporis anima est, vita animæ Deus*.

Quod ergo est corpus sine anima, hoc est anima sine gratia. Inde enim episcopo Sardicensi scribit Joannes, Apoc. III. *Nomen habes quod vivas et mortuus es*. Ergo primo, remanet corpus post animæ discessum, pallidum, deforme, horridum, fetidum, quod prius erat formosum et gratiosum. Sic anima post discessum gratiæ, remanet fœda, deformis, abominabilis, utpote destituta veste gratiæ, in qua prius Deo et angelis placebat: et adeo quidem fœda, ut nisi respiscat, abjicienda sit a conspectu Dei, et dæmonibus tradenda per omnem æternitatem. Ita enim S. Chrysostom. hom. XIII. in epist. ad Thess. ait: *Quemadmodum mortui deformes sunt et fetidi, ita et animæ eorum qui in malitia sunt*. Et quemadmodum a mortuo fugiunt, qui eum prius maxime dilexerant, ob

aspectum ejus tristem, sic horret peccatorem Deus et fugiunt angeli sancti. Quid dicit Deus homini justo? *Euge serve bone et fidelis*. Quid dicit injusto? *Serve nequam*: et: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores*.

Secundo, nudatur corpus emortuum, et unico tantum linteo ac sudario vestitur. Sic peccans spoliatur charitate et omnibus meritis, remanet in eo fides tantum et spes; quibus nihilo plus valet aut est, quam æs sonans aut cymbalum tinniens, quia sunt informes et mortuæ; sunt linteæ cadaveris, quæ vermibus donantur et horrore sunt. Quod si mors vel ideireo amarissima est, quia non relinquit homini plusquam unum linteum: uti ostendit Saladinus ille Ægyptius præcipiens linteum suum per castra circumferri; quanto amarior animæ mors, quæ præter fidem et spem informem, nihil relinquit homini?

Tertio, privatur omnibus viribus et sensibus ac virtute se movendi. Sic anima peccatrix nequit in statu peccati quidquam boni agere, quo gratiam et gloriam mereatur; quia omnia ejus opera displicent Deo, velut opera inimici et mortui: neque seipsam juvare ad surgendum potest. Atque ita talis anima similis est alicui, qui naviculæ impositus, ligatis manibus et pedibus, sine remis et remigibus evehctus in altum mare, committitur ventis et fluctibus, qui aliud nil potest, præterquam orare et opem præternavigantium implorare. Unde anima in tali statu constituta bene precari potest id Job. VII. *Memento mei Domine, quia ventus est vita mea*. Unus enim pestilens aer, una febris potest eam demergere in infernum.

Quarto, mox fœtere incipit. Sic peccator mox fœtorem infamiæ contrahit, præsertim ubi quadriduanus incipit esse, id est, si perseveret in peccato, idque sæpius iteret. Hinc de ipso vulgo scabiose loquuntur, ejusque vitium carpunt, imo aliquando in eum expuunt, velut in cadaver et carcimoma. Quinetiam ipse sibi fœtet; quærit enim latibula, timet prodi, erubescit cum proditur, vel etiam cum de illo vitio, quo tenetur, audit verba fieri. Tegit etiam excusationibus quasi ficum foliis, uti primi parentes peccatum et nuditatem suam. Semper cogitat quomodo id abscondat ab hominibus, uti David adulterium suum, licet is non haberet quem timeret ex hominibus. Quæso vos, annon fœtet, cum dicitur: *Hæc mulier æque facile inebriatur, atque viri?*

Quinto, cito vermibus scatet. Sic anima peccatoris transacto peccato statim infestatur a verme conscientiæ, qui perpetuo eam rodit, timorem punitionis et judicii ingerit, nec quem illi concedit, etiam in ipsis deliciis. Placet

sorte pomum in arbore et aridet specie sua, foris quidem pulchrum, intus tamen a verme erosum; quod si loqui posset, diceret: O quam deciperis, mi homo! Noli vocare pulchrum, sed potius amarum, quia amaritudine sum repletum, et a pessimo verme rodor. Sic diceret peccator, si verum dicere auderet. Jam ergo si tot quærimus et applicamus remedia ad fugandam et fugiendam mortem corporis, quæ tamen necessaria est: cur non magis id facimus contra mortem animæ, quæ mere voluntaria est? Et si deploramus mortem amici, cur non potius animæ propriæ? Unde Augustinus, loc. cit. subdit: « Non sunt in te viscera pietatis, si ploras corpus, a quo recessit anima, et non ploras animam a qua recessit Deus. Talis enim anima post peccatum non aliter relicta est, quam corpus a quo anima recessit.

II. Quando recedit ab aliquo homine vel communitate cum fide sua. Ut enim recedente rege et transferente domicilium suum in locum alterum, omnis cum eo recedit familia, omnes consilarii, peritissimi medici et totius aulæ decor; sic quando nuper recessit Deus cum fide a septentrione, recesserunt cum eo religiosi ejus aulici, doctores et concionatores ejus consilarii, confessarii ejus medici et per consequens sacramenta. Hinc ego mihi persuadeo, plerisque de plebe Lutheranorum et Calvinianorum damnati non tam propter hæresim, quæ in vulgo plerumque materialis tantum est, quam propter peccata alia, quia non habent mediâ resurgendi et peccata expiandi. Nulla enim apud nos absolutio, nulla verra pœnitentia quia contritionem seu dolorem ac detestalionem peccatorum præteritorum a pœnitentia excludunt, sufficere vitæ emendationem aiunt: nulla apud eos cura salutis, sed vana et falsa securitas, nullum honorum operum studium: nulla salutis præsidia, non sacramentorum usus, non indulgentiæ, non intercessio nec communio sanctorum, etc.

Deinde, deseritur regis palatium et destituitu ornatu suo; sic hæreticorum templa ornati ecclesiastico, imaginibus, ss. reliquiis, sacrificiis, cæremoniis, septem horarum decantatione, sacrorum officiorum varietate, etc. quibus alioquin vulgus instruitur, juvatur, et excitatur ad Dei cultum, pœnitentiam, virtutem. Unde verissime de eorum templis dici potest, quod de vinea illa, Ps. LXXIV. *Exterminavit eam aper de silva et singularis ferus depastus est eam*: et Isa I. *Relinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea, etc.*

Tertio, cessant jucunda exercitia, hastiludia, exercitatio equorum, venationes, pompæ, etc. sic apud hæreticos cessant exercitia spiritualia

religiosi ordines, processiones, comprecationes, indulgentiarum lucrum, jejunia, missæ, etc.

Imo et commoda ac lucra civium. Nam apud hæreticos solos nutrire se non possunt pictores, sculptores, organotecti, campanarum fusores, cantores, etc.

Quarto, perit, vel saltem imminuit politia per discessum principis. Sic apud hæreticos politia christiana, censuræ, ecclesiasticæ, legum observatio, quia perit etiam verbi Dei sincera prædicatio. De qua redicit Dominus Amos. VIII. *Mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commovebuntur a mari ad mare, et ab aquilone ad orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. In die illa deficient virgines pulchræ, et adolescentes, in siti*. In quem locum S. Hier. ait: « Tunc Dominus mittit famem in terram super eos, qui terrena sapiunt; et famem non panis, sitimque non aquæ, sed audiendi verbum Domini; quando propter peccata eorum doctrina deficit vera et a mari usque ad mare, id est, a falsis et amarissimis fluctibus usque ad amarum mare perveniunt non occurrentes fluminibus, non dulcissimis et variis fontibus veræ et catholice doctrinæ, et ab aquilone qui est ventus durissimus, usque ab orientem pervenire cupientes, ab hæresi scilicet ad veritatis lucem, quam reperire non poterunt; quia non recto pergunt itinere, sed deviis circumeunt callibus, viamque regiam non tenentes fidei, quam Deus Ecclesiæ suæ revelavit, curvis ducuntur anfractibus. Quamobrem deficient animæ virginales, quas incorruptas apostolus nominat, deficient, inquam, virgines, quia verbum Domini non invenient. Deficientibus autem virginibus et adolescentibus deficient, qui prius vicebant mundum et quidquid in eo erat calcaverant. Ex quo intelligimus quando doctrina veraque fides non fuerit, perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes, quia non comedunt verbum Domini, etc. » Hæc S. Hieron. Quæ verissima esse, apparet in hæreticis nostris, ubi nulla exercitia virtutum, non opera charitatis, non libri puri et pii, non studium perfectionis, non viri religiosi, non sacræ moniales, in castitate viventes, non sinceri verbi Dei præcones. Causam horum malorum subdit ibidem immediate Amos dicens: *Qui jurant in delicto* (id est idolo) *Samaritæ et dicunt: Vivit Deus tuus Dan, etc.* Dan, judicium interpretantur. Quia ergo hæretici proprio tantum judicio nituntur, non Ecclesiæ et patrum, hinc illæ inter eos turbæ, ex Scriptura perperam et prohibitu cujusque intellecta; unde fit ut de hæresi in hæresim et demum in atheismum labantur, sicut qui semel a via aberravit regia, de via

in viam erræ, et tandem omnem viam perdit.

Hujus dicessus typus aliquis cernitur in discessu Jacob a socero suo Laban; abstulit enim benedictionem, quam secum intulerat domui ejus, Gen. XXX. abstulit filias et nepotes, et mediantibus uxoribus suis idola ejus; pecora item plurima. Discessit autem Jacob postquam animadvertit faciem Laban non esse erga se sicut antea, Gen. XXXI. Sic quando tepidi Christiani non sunt ita amplius affecti erga Christum sicut antea, quando incipiunt subsannare sacra, sacerdotes contemnere, negligere sacramentorum usum, novis delectari dogmatibus, etc. tunc fidem ab illis tollit Christus.

III. Cum hominem incorrigibilem deserit, non dando ei talia gratiæ auxilia, quibus efficaciter convertatur, exigente hoc hominis obstinatione et perversitate. Huc pertinet, quod Pharisæis obstinatis dicebat Christus, Jo. VIII. *Ego vado et quaeritis me, et in peccato vestro moriemini*. Sic enim et medicus, postquam eger medicamenta omnia repulit, vel non juxta præscriptum vixit, tandem eum deserit, aut aliqua præscribit parum efficacia. Optime vero comparatur hic habitus solis recessui, quando de æquinoctio autumnali recedit a nobis usque ab solstitium hiemale, seu de æquatore ad tropicum capricorni causatque hiemem, triste illud sterileque tempus. Nam imprimis sol per hyemem non exercet amplius terram nec occupat, sed sinit dormire et otari in sua induratione: sic obstinati et qui a Deo elongati sunt, permittuntur sequi suas cupiditates et libidines, nec ab illis remouentur earum illecebræ et occasiones, juxta id Ps. LXXX. *Dimisi eos secundum desideria cordis, ibunt in adinventionibus suis*: et Ezech. XVI. *Eo quod provocasti me in omnibus his, quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi*, ait Dominus Deus. Cum contra bonis dicat: *Septem vias tuas spinis*, Os. II.

Secundo, recessus solis causa est multarum nivium quæ si nimie sint, fruges enecant et suffocant. Sic cum recessit ab homine Deus, dat vel permittit ei affluentiam rerum temporalium vel prosperos successus, quibus ille permovetur ad liberius peccandum, et tandem suffocatur in spinis divitiarum. Hoc dicere vult David, Ps. LXXII. cum ait: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis*, hoc est, adeps et abundantia, ac prosperitas hominum causa illis fuit, cur liberius delinquerent, et omnia sibi acquirerent, quæ cordi eorum arridebant.

Tertio, aufert tonitrua et fulgura, quæ salutare afferunt pluvias, etsi simul terrorem afferre solent hominibus. Recessus Dei aufert minas, terrores et tribulationes, quibus castigati alioquin peccatores redire solent ad sanam

mentem. Hoc minatur Deus Jerosolymæ, Ezech. XVI. dicens: *Auferetur zelus meus a te, et quiescam nec irascar amplius*: et Psal. LXXII. *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate*.

Quarto, aufert speciosam iridem, signum frateris inter Deum et homines. Sic Dei elongatio aufert sanctorum intercessionem, ne pro nobis Deum orent, et pacem nobis impetrent, juxta id Jerem. VII. *Tu noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te*: et cap. XV. *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Nec etiam ipsosmet orantes audit, quia scilicet gratiam orandi sicut decet, non præbet, vel quia ipsi in peccatis persistentes orant, teste Salomone, Prov. I. *Invocabunt me et non exaudiam; mane consurgent et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam*.

Quinto, aufert salutarem rorem, pluvias et calorem, quibus alioquin imprægnatur et fructuatur terra. Sic recessus Dei aufert ab obstinatis salutares inspirationes angeli custodis, admonitiones confessoriorum, correptiones concionatorum ac Dei verbi prædicationem, quod et fecit Babyloñi, Jer. LI. cum angeli dixerunt: *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus ergo eam, quoniam pervenit usque ad cælum judicium ejus*: et Act. XIII. Paulus et Barnabas ad Judæos: *Quoniam repellitis illud (verbum et regnum Dei) ecce convertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus*.

Sexto, pro rore et pluviis mittit glaciem, in qua labentes sæpe corruunt, et quandoque pereunt in subter labentibus fluviis. Mittit malos consiliarios, necnon falsos prophetas et doctores qui eos sua blandiloquentia, hypocrisi et dogmatibus abducunt in præcipitia. Sic Roboam stultorum juvenum consilium secutus, magnam regni partem perdidit: sic Absalon utile consilium Achitophel respuens et consilium Chusal malum sequens ad exitium perductus est: sicut magi Pharaonis signis et præstigiis suis Pharaonem in pertinacia obfirmarunt: sic Achab seduxerunt pseudopropheta loquentes ei placita.

Septimo, aufert arboribus folia et quasi pallia sua, denudatas exponit frigori et celli injuriis. Sic Deus aufert peccatori omnis generis præsidia, bonos superiores, bonos socios, bona exempla, etc. Sicut minatur Dominus, Isa. V. vineæ sterili: *Et nunc ostendam, inquit, vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepe ejus et erit in direptionem, diruam macerem ejus, et erit in conculationem*. Inde tales de peccato in peccatum ruunt, et quandoque etiam in manus

carumficum deveniunt, miserabiliter excrucianti.

Octavo, vento aquiloni habenas laxat. Sic postquam Deus ab homine tali recessit, laxat habenas diabolo, ampliorem ei faciens potestatem insidiandi et nocendi tali homini; quæ ille accepta, eum mire exagitat, seducendo vanis opinionibus, objiciendo varias peccatorum illecebras, turbando phantasiam et inflammando affectus, etc. Ita in visione Michææ, III. Reg. ult. egreditur spiritus mendax ad decipiendum Achab, accepta potestate a Deo ad hoc faciendum.

Porro sicut solis recessus, horum quæ diximus causa est, non positiva sed negativa, in quantum videlicet subtrahit terræ radiorum suorum influxum et efficaciam; sic etiam Deus ejusmodi indurationis causa negativa tantum est; quæ scilicet non dat homini obstinato potentem illam, copiosam, specialem et efficacem gratiam suam, qua convertatur; sed sufficientem tantum et minus potentem, qua converti quidem potest reprobis, sed non convertetur, et hoc juste facit, quia scilicet talem desolationem promeritus est sua incorrigibilitate et peccandi libidine. Sicut enim recessit a Samson, auferendo ei vires ipsi non debitas, et permittendo eum manibus Philistæorum, quia nimirum sæpius passus est sibi imponi a Dalila: ita juste deserit hominem, quæ amori mundi nimium adhærens, sæpius deceptus et ad lapsum pertractus, non respicit nec sibi cavet.

IV. Omnium miserabilissimus Christi dicessus est, qui fiet peracto extremo judicio quando recedet cum gloria sua a damnatis. De quo videtur loqui apud Oseam, c. IX. *Væ eis, cum recessero ab eis*. Hinc enim Dei recessus omnimodam dicit desolationem et bonorum omnium subtractionem per omnem æternitatem, quando videlicet cum sanctis suis ascendet ad cælum Deus; quando *dorsum et non faciem* vertet condemnatis in die perditionis eorum. O quis explicare queat horrorem istius recessus! Cogitate qualis esset miseria in genere humano, si per integros aliquot annos, nunquam luceret sol, sed perpetuæ forent tenebræ? Si nulla unquam pluvia caderet aut ros, non ventus, non nix? Si nulla cresceret herba? Si fontes et fluvii sicarentur? Si pectora omnia consumerentur? Quæ tunc in mundo foret tristitia? Qui gemitus? Quæ lamenta? Quanto desiderio tunc præstolaremur solem? Vidit ejusmodi tristem cæli faciem aliquando Samaria, in qua annis tribus et dimidio nec ros nec pluvia cecidit super terram. Ubi ipsemet rex Achab exivit ad quærendam jumentis herbam, III. Reg. XVIII.

Unde necesse fuit pecora interire, et herbas ac fruges emori, homines fame perire. Sed nihil hoc est, si cum die illa comparetur, in qua Christus se subtrahet a damnatis, deserendo eos in dæmonum potestate, deturbandos in in abyssum. Illinc enim non tantum ros et pluvia non cadent unquam, sed ipsum adeo cælum quodammodo ab eis recedet, sicut liber involutus, ut ait Joan. Apoc. VI. et complicabitur, ut ait Isaias, c. XXXIV. hoc est, nullum amplius motum habebit, nullum lumen dabit, nullum calorem ministrabit, nulla vi aut efficacia pollebit. Modo certe cælum instar pulchri libri expansum est, totibi speciosa lumina; inde anni varietates, inde omnes progignuntur flores, herbæ, gemmæ, metalla, inde aeris temperies, inde demum agnoscimus, et miramur creatorem. O elegantem librum! Sed quando in illa die redibit ad cælum Christus, et ab improbis recedet, complicabitur hic liber, et simul quasi cum judice recedet, hoc est, non videbitur a damnatis amplius per omnem æternitatem! O recessum malum! O complicationem tristem! Ergone, dicent reprobi, non videbimus, o socii, ex hoc die amplius cælum hoc tot luminibus coruscans? Non videbimus hunc solem, qui suum nobis lumen toties infudit? Non speciosam illam lunam, quæ menstruis revolutionibus suis adeo nos recreavit? Ergone abhinc ad æternum, non cadet super nos pluvia aut ros? Non blanda nix? Non suavis etrus? Non videbimus deinceps flosculum unum, herbulam unam, arbustulum unum? Non lepusculum, non passerem, non muscam unam? Nec revisemus ab hoc die patriam et amicos nostros? Non edemus amplius panem, nedum lautas epulas? Non bibemus amplius aquam, nedum præstans vinum? O justitiæ sol, ne movearis contra nos. Domine, ne discedas a nobis; mane nobiscum, Domine.

Sed quid cæli facies, respectu faciei Christi, quam tunc avertet a damnatis, et per omnem æternitatem non ostendet amplius? Hæc enim est illa facies plena gratiarum, in quam angeli desiderant prospicere. Cum Paulus discederet a senioribus Ephesi, et jam navim intraturus diceret: *Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam omnes vos: magnus omnium fletus factus est, et procumbentes super colulum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri*, Act. XX. Cogitate jam quis futurus sit fletus damnatorum, cum discedet ab illis Christus, cujus faciem non videbunt amplius, quamdiu Deus est Deus?

O recessum deplorandum! Et tamen (heu insaniam!) homines inveniuntur, et quidem